



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 9. Contra irreverentiam in Templo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

In templo ejus omnes dicent gloriam. Pl. 28. 9. Audiant hæc psalmi verba ii, qui longos, alienosque, in templo edunt sermones, Qui in templo Dei est, non vana, scurrilia, probrosa, loquatur verba; sed *omnes dicent gloriam.* Adstant, verba describentes Angeli; adest & Dominus, affectus intrantium considerans: preces cuiuslibet Deo manifestæ sunt. S. Basilius hic.

Nihil Ecclesiæ tam congruum, quam silentium, & tranquillitas. S. Chrysof. hom. 38. ad pop.

Olim templi foribus inscriptum erat, *silentium.* teste S. Chrysof. hom. 1. in 1. ad Timotheum.

§. IX.

Contra irreverentiam in templo.

Fili hominis; putasne vides tu, quid isti faciunt, abominationes magnas, quas Domus Israel facit hic? &c. Ezech. 8. 6. Ergo & ego faciam in furore meo: non parceret oculus meus; non miserebor. v. 18.

Ipsæ autem Ariel quatuor cubitorum. Ezech. 43. 15. Ariel, id est, leo. Praferbat altare formam leonis: ut ad id sacrificaturi accedentes recordarentur, Deum similem esse leoni, qui irreverentes discerpat. Cornelius hic.

Vos autem fecistis illam speluncam latronum. Matth. 21. 13. Ecce tibi amplissima domus, multo ædificata studio, summâ arte exornata; ab impietate, & vitis, habitantium eam faciem sumit; ut Deo rudis, & inculta, spelunca appareat. Bæza t. 2. l. 12. c. 4.

Et accesserunt ad eum cæci in templo. ib. 14. Aptè à Domino, post contemptores templi ejectos, mox cæci sanantur. Cœcitate enim laborant, qui in templo se irreverenter gerunt. Jacob Gen. 28. 16. exclamat: *verè Dominus est in loco isto, & ego nesciebam.* Jacui, somno indulgebam; dum deberem procidens adorare, & cœlestia meditari. *Et ego nesciebam;* mentis certè cœcitate laborabam. Elcobar t. 1. Mir. Chr. 1. 2. Sect. 2. Obl. 1.

Domus mea domus orationis vocabitur. ib. Hi ementes, & vendentes, non debebant in ipso templo propriè, sed in atrio templi; imò in atrio omnibus gentibus communi: & tamen

inde à Christo ejecti sunt. Quid ergo faciet Christianis in templo ipso coram Venerabili indigniora patrantibus? Cornelius hic.

Amen dico vobis, non relinquetur hic lapis super lapidem. Matth. 24. 2. Tunc Discipuli quærun: *dic nobis, quando hæc erunt? & quod signum adventus tui, & consummationis Seculi?* Nota: Christus Dominus loquitur de templi ruina: unde Apostolis venit in mentem totius orbis dissolutio? Judicant ergo, exciso templo, orbem ruiturum; nec stare posse, religione sacri loci profanata. Sylveira in Act. 4. 1.

Cum fecisset quasi flagellum. Joan. 2. 15. Non legitur in Evangelio Christum percussisse aliquem, nisi hic. Multa peccata fiebant in Jerusalem &c. Nota, quam displiceat Deo irreverentia in templis. S. Vincent. Ferr. D. 10. Trinit.

Nunc autem forò nihil differt Ecclesia. Si quis corrumpere matronam conatur, locum hunc maxime idoneum putat. Emere quidem, aut mercari, lubet; magis idonea Ecclesia est, quam forum. Sæpius enim de his rebus, quam in ipsis officinis, loquuntur. S. Chrysof. 36. in 1. Cor.

Tunc etiam domus Ecclesiæ erant; nunc verò Ecclesia domus; imò domo quilibet profana magis. Nam in domo quidem, ordo servari solet: hera thronum occupat, famulæ tacite texunt; hic verò magnus tumultus; nihilque à caupona differunt nostra. Tanta turba, tantus rufus, quantus in balneis. Dominò cœlitus de tam stupendis rebus nobiscum loquente, canibus impudentiores fumus; scortis reverentiæ plus, quam Deo exhibemus. Inhorrescitis? cum ista auditis? quin magis adeo facientes horrescitis. S. Chrysof. hom. 36. in 1. Cor.

In hanc probrositatem morum. Itaque Ecclesias, vel potius templa, atque altaria Dei, minoris reverentiæ quidam habent; quam cujuslibet minimi, ac municipalis judicii domum, Salviatus de Provid. Dei l. 3.

Stephanus Papa VI., cum animadverteret, à nonnullis irreverentiam templo exhibitam; dum ipse Missam celebraret, sub ipsa Missa ad populum conversus exclamavit: *Pavescite illum, qui flagellò factò de funiculis ejecit vendentes de templo.* Schönleben Disc. 27. in Dedic. Eccl.

